

CLASSICS PART IB, LATIN LANGUAGE

MICHAELMAS TERM, WEEK 3

1. Translate:

After witnessing a terrifying omen, the tyrant, Tarquinius Superbus, sends two of his three sons to consult the Delphic Oracle. The Tarquinius are eager to discover who will hold supreme power at Rome after their fathers' death; but their companion Brutus is cleverer than either of them.

haec agenti portentum terribile visum: anguis ex columna lignea elapsus cum terrorem fugamque in regia fecisset, ipsius regis non tam subito pavore perculit pectus quam anxii implevit curis. itaque cum ad publica prodigia Etrusci tantum uates adhiberentur, hoc velut domestico exterritus visu Delphos ad maxime inclitum in terris oraculum mittere statuit. neque responsa sortium ulli alii committere ausus, duos filios per ignotas ea tempestate terras, ignotiora maria in Graeciam misit. Titus et Arruns profecti; comes iis additus L. Iunius Brutus, Tarquinia, sorore regis, natus, iuuenis longe alius ingenii quam cuius simulationem induerat, ne ab avunculo interficeretur. is tum ab Tarquiniis ductus Delphos, ludibrium verius quam comes.

quo postquam ventum est, perfectis patris mandatis cupido incessit animos iuuenum sciscitandi ad quem eorum regnum Romanum esset venturum. ex infimo specu vocem redditam ferunt: 'imperium summum Romae habebit qui uestrum primus, o iuvenes, osculum matri tulerit'. Tarquinius ut Sextus, qui Romae relictus fuerat, ignarus responsi expersque imperii esset, rem summa ope taceri iubent; ipsi inter se uter prior, cum Romam redisset, matri osculum daret, sorti permittunt. Brutus alio ratus spectare Pythicam vocem, velut si prolapsus cecidisset, terram osculo contigit, scilicet quod ea communis mater omnium mortalium esset.

(Livy)

2. Prepare:

Propertius rebukes Gallus, who has tried it on with Cynthia.

Quid tibi vis, insane? meae sentire furores?
infelix, properas ultima nosse mala,
et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
et bibere e tota toxica Thessalia.
non est illa vagis similis collata puellis:
molliter irasci non sciet illa tibi.
quod si forte tuis non est contraria votis,
at tibi curarum milia quanta dabit!
non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos:
illa ferox animis alligat una viros.
a, mea contemptus quotiens ad limina curres,
cum tibi singultu fortia verba cadent,
et tremulus maestis orietur fletibus horror,
et timor informem ducet in ore notam,
et quaecumque voles fugient tibi verba querenti,
nec poteris, qui sis aut ubi, nosse miser!
tum grave servitium nostrae cogere puellae
discere et exclusum quid sit abire domum;
nec iam pallorem totiens mirabere nostrum,
aut cur sim toto corpore nullus ego.
nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
nescit Amor priscis cedere imaginibus.
quod si parva tuae dederis vestigia culpae,
quam cito de tanto nomine rumor eris!
non ego tum potero solacia ferre roganti,
cum mihi nulla mei sit medicina mali;
sed pariter miseri socio cogemur amore
alter in alterius mutua flere sinu.
quare, quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
quaerere: non impune illa rogata venit.

(Propertius)